



Disputationum metaphysicarum de conceptu spatii, localitatis, immensitatis &c. pars prima

<https://hdl.handle.net/1874/340972>

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM

DE

CONCEPTU SPATII LOCALITATIS IMMENSITATIS &c.

PARS PRIMA.

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUE PRÆSIDIO

D. PAULI VOET, J. V. D. Lib. Art. Mag.
& in Almam Academiā Ultrajectinā Metaphy-
ces & Logices Profess. ordinarii.

Publicè defendere conabitur,

JOHANNES MEERSMANNUS Med.-Zeland.
Ad diem 1. Decemb. horis locoque solitis.



Natura & Industria

Trajecti ad Rhenum

Ex Officinā IOHANNIS van NOORTDYCK
Academiā Typog. A°. 1649.

Reverendis, Spectatissimis Viris

D. PETRO van de Putte. } Apud Ziricæos;
D. JOHANNI Deuwelen. } apud Mediobur-
genſes Mercatoribus ſolertiſſimis, & honeſtiſſi-
mis, Avunculis ac tutoribus meis chariſſimis, pa-
rentis loco, quoad vivam honorandis.

UT ET

Doctiſſ. Conſultiſſ. Prudentiſſ. Domino,

D. LEONARDO ZYPESTEYN J.U.D.
Facundiſſ. & Senatui Flandrico à Conſiliis, Avun-
culo mihi æternum ſuſpiciendo.

DENIQUE

Eruditione ac pietate conſpicuis Viris,

D. JOHANNI WILMERDONX, Gym-
naſii Medioburgenſis moderatori ſupremo, Philo-
ſophiæ, Theologiæ & omnis denique literarum
generis peritiſſimo.

D. ABRAHAMO URSELINX, ejuſdem
urbis Gymnaſii Conrectori vigilantiffimo, in lingua
Græcâ, & liberalibus artibus verſatiſſimo: ſtudio-
rum meorum fundatoribus indefeſſis; ideoque
plurimum obſervandis, colendis.

*Haſce meſſis Philoſophica primitias in
grati animi reſponſion ſubmiſſe,*

Offero

JOHANNES Meerſmannus.

Reſpond.

Conceptu Spatii Localitatis Im-
mensitatis, &c.

PARS PRIMA.

THESIS I.

Non novum est, sed in Scholis tum Theologorum, tum Philosophorum receptum, ut *esse alicubi* tribus acciperetur modis. Scilicet: *esse alicubi* circumscriptive, definitive, repletive. Illud tributum rebus corporeis; istud substantiis spiritualibus creatis, hoc vero suo modo, essentiae Dei immensae. Adeo ut vel ignorantia terminorum in libris, in Scholis receptorum laborent; aut praemalitia se ignorare fateantur, quotquot statuunt voces *alicubi*, *localitatis*, *spatii*, & quae sunt hujus generis alia, Deo nec tribui, nec tribuenda. Certum enim non minus to *alicubi*, aut *locale* Deo accommodari posse, quam to *ubique*, cum *alicubi*, sit quid generalius quam *ubique*; & *locale*, ut affectio omnis entis suo modo ad ens increatum referatur.

II.

Neque tamen hinc quisquam inferat, ideo quicquid de *localitate* ad creaturas relata dicitur, eo modo quo de creaturis dicitur, applicari Deo aut posse aut debere; Sic enim nihil fere de Deo aut dici aut concipi posset, quia quicquid de Deo dicitur, aut concipitur, non erit idem illud, & ad amissum tale quid representans, de quo dicitur. Sed ut vocabula à creaturis desumpta ad Deum, ejusque naturam explicandam per analogiam transferuntur; sic itidem in tractatu de *Spazio*, de *localitate*, vocabula quae in strictis-

MURACIUSIATUM METASTATUTUM
fima sui significatione creaturas spectant, etiam in latiore aut latissima significatione Deum respicient, & modo Deo condigno illi applicabuntur.

III.
Hoc si notetur solvitur fallacia adversariorum qua in ipso limite impingentes, lectoribus fucum faciunt, & rerum ignaris imponunt, quosdā statuere Deum esse in *ubi* seu *localitate* proprie dicta. Hinc integras argumentorū classes proferunt quo probent Deum non esse in *ubi* proprie dicto. Nec ea, qua creaturis ratione, illi applicandam *localitatem*. Sic sibi adversarios quaerunt, quos non habent, & sententiam aliquam, inepto modo fingunt, & pro libitu refingunt, quam sub veri specie oppugnent. Neque enim quisquam nostrum, quod scio, eo progressus est vesania, ut vel somniando finxerit, tantum abest scripto fuerit publico professus Deo tribui *localitatem* aut *alicubi* proprie dictum. Sed quaeso quid sibi vult illa Phrasis *Deo non posse tribui ubi*, aut *alicubi* proprie dictum? 1. An per proprie dictum *ubi*, intelligunt *ubi* strictē dictum? 2. An *ubi* aut *alicubi* non abusive, non metaphorice sumptum? 3. An *ubi* explicatum per omnia ad eum modum, ad quem dicitur de creaturis? 4. An *ubi* ut verē non falso affirmatum? Expediant hic sese, ne postmodum si rationibus convincantur, sub ambiguitatum involucris, turpiter effugium quaerant. Quod si enim primum sententiae sensum designent certum Deo proprie vocem *ubicationis* non tribui. Verum itidem certum, non omnem vocis significationem secundum latitudinem sumptae, improprie dici aut esse. Si secundum sensum amplectantur, nego vocem *alicubi*, & *ubi*, improprie Deo applicari. Si quartum sensum respiciant, itidem nego locutionem esse improprie. Si tertium, lubens fateor, *ubicationem*, *localitatem* secundum improprietatem de Deo affirmari. Sed quis quaeso hoc unquam ita voluit Deo applicatum, uti illi à nobis applicatum, aut applicandum somniant? Præterea si locutionem notare velint ut improprie explicatione tertia, ipsi adversarii viderint quam multa absurda admittere cogentur. Cum enim hac sola

sola ratione illas voces *ubi*, *localitatis*, &c. improbant, neque recipiendas volunt in Theologorum scriptis. quod non nisi analogice Deo applicentur. Jam oportebit ut una opera damnent, & evellant ex omnibus locorum communium scriptoribus, voces per plurimas Deo suo modo applicatas; ut *Durationis*, *Personæ*, *Suppositi*, *Suppositivitatis*, *Generationis*, & quæ sunt hujus generis alia: cum nunquam eo modo applicentur Deo, quo creaturis neque idem in Deo notent quod in creaturis. Ideoque si sese citra culpam omnem esse velint, dum *suppositi*, *persona*, *personalitatis* vocabula ad Deum referunt, etiam à parte Dei suppositivitas non sit modus proprie dictus, & suppositum non constet ex subjecto & modo, nihilque in Deo proprie sit determinabile, & amplius actuabile. Quæ tamen obtinent in *Personæ*, *suppositi*, *suppositivitatis* conceptu à parte creaturarum. Sic nec illi vel minimum culpæ obnoxii sunt, aut *ἀνευλόγως* accusandi, qui vocabula *Localitatis*, *Ubi*, *Alicubi*, sano sensu sumpta, omni senotâ imperfectione, Deo per analogiam applicant, quo conceptum omni præsentia, etiam immensitatis divinæ Deo non incongruenter explicant. Certum enim nullum vocabulum de Deo dici, nullum conceptum formari qui si examinetur ad infinitam illam perfectionem divinam, prout illa in Deo est uniformis, & ipse Deus, quoad omnia cōveniat cū re explicata & aliquali modo à nobis concepta. Tum quia quicquid de Deo dicitur, minus est illo de quo dicitur. Tum quia quicquid de Deo concipitur, dum in ad æquate, adeoque modo quodam imperfectiore concipitur. Ne aliter id quod est ineffabile, & incomprehensibile, ad amussim verbis explicaretur balbutientium, & conceptu finito apprehenderetur.

IV.

Potius itaque laudandi veniunt conatus eorum, quam ut reprehensione qui digni cum intellectui humano datum sit aliquid de Deo cognovisse, hoc ipsum student, ita clarum ita perspicuum reddere, in quantum ratione recta, perspicuum reddi potest, ut ita homo, per cognitionem illam quam proxime Deo uniretur, &

intuitu excellentiæ Divinæ, in admirationem ejus rapiatur.

V.

Neque enim Deus sui indicia creaturis impressit, ut in obscuro lateret, & quicquid in eo manifestum est hominū fugeret cognitionem; Sed ut homo commentando, observando, & vestigia divina in ipsis creaturis legendo, à creaturis gradatim conscenderet ad aliqualem creatoris cognitionem, quæ quia in hac vita perfecte obtineri non potest, annitendum erit, ut saltem ad eum modum obtineatur, qui per fragilitatem humanam obtineri potest.

VI.

Quo magis censura notandi sunt, qui quia minus commode de Deo ratiocinantur judicii defectu, vel quia alii, commodius de Deo hæc & illa expediunt, quam ipsi se posse speraverant, Velint illa quæ spectant *Immensitatem* divinam, ut inexplicata relinquere. Hac unica moti ratione, scil. quia Deus est incomprehensibilis. Quæ ratio si esset alicujus ponderis, hinc sequeretur, in nullius attributi divini cognitionem inquirendam esse. Cum & alia attributa divina, æque sint incomprehensibilia, (cum sint ipse Deus) ac attributum *immesitatis*. Si enim dixerint *ubiquitatem*, *ubietatem*, &c. applicari Deo non debere, quia forte illi termini à parte creaturarum, dicunt imperfectionem aliquam, & res illa, ut est in Deo est infinita, quæ ingenio finito mensurari nequeat. Idem nos dixerimus de aliis multis Deo tributis. Exemp. Gratia *Voluntas libera* ad Deum refertur, cum tamen voluntas ut est a parte creaturarum non sine imperfectione sit, & ut est a parte Dei, sit ipse Deus secundum essentiam infinitus. Porro de Deo patre asseritur, quod æterna generatione filium suum generaverit, & aliqua ratione hoc ipsum explicatur, cum tamen inexpedibile sit, quo modo Deus Pater ab æterno filium generaverit, & a parte creaturarum generatio non sine imperfectione peragatur.

VII.

Fatemur quidem omnia quæ sunt in Deo, eo modo quo sunt in Deo, esse ineffabilia, & inenarrabilia, adeoque ab intellectu creato perfecte percipi non posse: Sed tamen in quantum mens hu-
mana

mana in eorum cognitionem aliqualem quamvis imperfectam devenire solet, in tantum etiam prædicationes quamvis imperfectas, de conceptibus nostris circa divina, inadæquatis, formari posse, immo debere. Ne aliter videatur homo sub prætextu difficultatis in rerum apprehensione divinarum, omnem divinitatis, eorumque quæ Deum spectant sensum, notitiam, abjicere velle, ac tandem eo devenire ut potius nullam, quam imperfectam de Deo apprehensionem habeat.

VIII.

Laborandum potius ut quam commodissime attributa divina etiam per desumpta a rebus creatis vocabula explicantur, ne rejecta explicatione attributorum, simul asseramus nihil de Deo lumine naturæ sciri posse. Hinc est quod non tantum hujus aut istius attributi aliqualis explicatio sit adhibenda, sed & omnium: ergo non tantum explicabitur aut attributum *æternitatis*, *simplicitatis*, sed & *ubiquitatis*, *immensitatis*. Hinc tales etiam conceptus formandi, talia vocabula assumenda, quæ illa attributa veluti per simulacra præsentent. Quod fieri nequit, nisi mentio fiat *Spatii*, *præsentia*, & quæ sunt hujus generis vocabula ad inventa, ut ratio *immensitatis* divine innotescat. Qui enim conceptus ejus formari poterit, nisi concipiamus Deum esse ultra omne creatum infinitate suæ essentia, & nihil spatii extra aut intra cœli extremam superficiem concipi posse, ubi non sit Deus.

Cum enim dicatur *ubique*, in quantum respicit omne *ubi*, quod *ubi* tamen formaliter non est quid reale. Sic dicetur esse *immensus*, in quantum excedit omne *Spatium* corpore repletum, & concipitur etiam *ibi* esse, *ubi* non est corpus, aut res ulla creata.

Quis hæc non admittat vocabula circa explicationem *immensitatis* divinæ, etsi a rebus creatis mutuata? Cum in attributorum reliquorum explicatione ea teneatur admittere.

Idque eo magis, quod aut per talia vocabula *immensitatis* conceptus sit explicandus, aut nihil de *immensitate* sit asserendum.

Aut ergo adversarii fateantur necesse est se nihil de *immensitate* divina concipere posse, aut si quid conceperint, vocabula promant, quibus

X². / 2. quibus conceptus sup^{er} explicent, certe tenebantur ea vocabula
18. assumere, quod nos in explicatione *immensitatis* non incommode
adhiberi posse censemus, qualia sunt vocabula *Alicubi*, *Præsen-*
X^{ad}. / 1. tia, *Spatii*, *intervalli*, *intercapedinis*, *infinita*, &c. Sed in hisce
substituto quibus præmissis, progredi sequenti thesi probationem
ejus quod intendi, scil. admitti debere conceptus *Spatii*, hoc no-
mine, *imaginari*, seu conceptus *ubicationis* increatae, *Alicubi*
non *realis*, &c.

COROLLARIA.

1. Theologiæ, Philosophia non contrariatur.
2. De Deo quod fit, & quod unus lumine naturali
constat.
3. Deus potest omnia meliora facere quam fecit.
4. Metaphysica futuro Theologo est necessaria.
5. Angeli non noverunt futura contingentia citra re-
velationem Divinam.
6. Demones non possunt edere miracula.
7. Non datur generalis quædam anima aut spiritus
Mundi.
8. Nec cælum, nec terra peribit.
9. Logica ad cæteras scientias est necessaria.

FINIS.